

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0323

0321

0327

0317

0332

0312

0372

0272

0422

0222

0822

Ende

Anfang

310

contradictione ei terras tradidissent. Sed aliorum sententia
praevaluit et per mare intravit et in Cyprus venit. Quod ut
Soldanus Aegypti audivit, timuit; unde plures filios christia-
nos pecunia corruptos ad regem misit, ut regem et principes
ejus veneni maleficio enecarent, sed Deo volente ipsi capti
fuerunt et necati. Concordiam autem fecit inter Venetos,
Genuenses et Pisanos, et ita ad pugnam contra infideles
processit.

Anno ergo Domini 1249., dum se classes regis ad proce-
dendum disponerent, venerunt cum multitudine navium dux
Burgundiae et princeps Achaya regi in adjutorium et con-
gregatis exercitibus publicatum fuit, quod versus Aegyp-
tum dirigerent gressum suum ad Damiatam urbem Dei
adjutorio obsessuram [obsidendam]. Dantes igitur vela
ventis prospero usi vento die sequenti apparuit illis terra
Aegypti et post paululum civitas Damiate. Anchorantes igitur
viderunt littora tam equitum quam peditum plena Sarraceno-
rum, insuper et Nili ostium navibus refertum ad nostrorum
transitum impediendum. (B) Sequenti igitur mane nostri in
parvis naviculis ad litus applicuerunt et praesidium navium
in ostio Nili ceperunt multis Sarracenis interfectis. Sarra-
ceni ergo, qui in urbe erant, hoc viso perterriti sunt et
desperantes, se posse civitatem defendere, clam nocte relicta
civitate fugerunt, eamque in multis locis incenderunt, ut eam
Christianis inutilem redderent. Sicque capta est civitas
Damata iterum et mansit exercitus in ea cum rege tota
aestate, quia propter Nili effluentiam pugnare cum infidelibus
non poterant. Transacta autem aestate dominus rex instructo
exercitu ad bellum processit et omnes turmas infidelium oc-
currentes prostravit et casalia cepit. Cum autem nostri cre-
derent, plenam victoriam de hostibus se habere, acies nostro-
rum se inconsulte dividentes per universam regionem diffusi
sunt, quod hostes videntes resumitis viribus irruerunt in notros
tanta instantia, ut paene in fugam verterentur, et cum undique
ab hostibus premerentur et decas fieret strages horribilis,
maxime eorum nobilium, qui vexillum regis sequebantur, et in-
gravatum est bellum contra nostros adeo, ut de illorum multi-
tudine vix pauci evaderent, qui non occiderentur gladiis, aut

